



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus theologici iuxta scholasticam huius temporis
Societatis Jesu methodum tomus ...**

Amico, Francesco

Duaci, 1640

Disputatio Decima Tertia. An, & quid sint ideæ in mente diuina?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82000)

omnes creaturæ sint inæqualis perfectionis (specificæ); nam etiam partes proportionale continui, & cogitationes intensiores & intensiores æternum futuræ sunt inæqualis quantitatis & intensificationis: cum tamen neque in illis, neque in his assignabilis sit aliqua in tota collectione ultima.

380. Ad quartam, Resp. cognitionem diuinam nec sistere in aliqua creatura, non progrediendo in alias, quæ supra illam sunt, si verè sunt, nec in tota collectione possibilium cognoscere vnam omnium perfectissimam, sed sistere in tota collectione infinita, quam perfectissime comprehendit absque ullo termino ultimo. Sicut in tota collectione diuisionum possibilium continui non sistit in vna aliqua parte infra quam non cognoscat alias minores, quæ sunt diuisibiles infra illam; non tamen in

illa sistit in aliqua omnium minima, cum ea non detur, sed sistit in tota collectione, illam perfectissime comprehendendo absque ultima. Idem dicito de tota collectione cogitationum intensiorum & intensiorum æternum futurarum.

381. Ad quintam, negatur antecedens: Implicat enim, ut Deus producat creaturam, quam potest, omnium perfectissimam; quemadmodum ut producat partem continui, quam potest, omnium minimam: eò quod inexhaustibilis est infinita diuisibilitas continui: At non minus inexhaustibilis est infinita perfectio Dei. Quæres, quantum ergo poterit Deus producere, si non potest totum, quod potest: Resp. quantum libera ipsius voluntas determinauerit, cui in producendo, ad extra subordinatur diuina potentia.

DISPUTATIO XIII.

An, & quid sint ideæ in mente Diuina?



ONSTANS est Patrum, & Scholasticorum sententia, in Deo ideæ esse, quod & gentiles Philosophi cognouerunt, ut constat de Platone, quæ ut primum idearum inuentorem

refert August. l. 83. quæstionum, quæstione 46. quamuis ipse alijs ante Platonem, eas notas fuisse ibidem putet. Huius veritatis duplex est ratio, altera ex parte effectus producibilis; altera ex parte Dei producentis. Prior est, quia quidquid perfectionis est in effectu, id totum in causa, à qua effectus suum esse participat, præexistere debet; atqui omnis effectus, creatus non solum participat esse naturæ, qua constat, sed etiam artis, quam imitando exprimit: igitur in Deo non solum præsupponendum est principium effectuum, quo esse naturæ rebus communicet; sed etiam esse artefactuum, quo esse artis ipsi imitari. Maior patet; quia cum totum esse effectus, deriuetur à causa, nihil poterit esse in effectu, quod non præfuerit in causa. Minor apparet in hac ordinatissima mundi machina, in qua non modò elucet esse naturæ, quo vnaquæque res in suo esse constituitur; sed etiam esse artis, quæ cuncta creata diuersissimæ quamuis naturæ, mira tamen connexionem & ordine inter se coherentia, mirabilem illam diuinæ mentis architecturam imitando exprimunt. Vnde familiare est Patribus, ex huius vniuersi or-

dine supremam illam arguere mentem, quæ infallibili suâ sapientiâ & arte omnia disponit ac dirigit; cum non nisi à sapiente ordo esse possit: *Sapiens*, auctore August. loco præcitato, *nemo esse possit*, nisi ideis intellectis.

2. Posterior ratio ex parte Dei producentis est; quia cum Deus in producendo sit infinitus, nec certa limitetur virtute ad determinatos effectus producendos, sed producere possit plures, & plures, perfectiores & perfectiores, in infinitum, ut certos quosdam determinatè producat, oportet, ut liberâ suâ voluntate illos determinet, applicando infinitam suam potentiam ad hos potius, quam ad alios producendos: nequit autem voluntas potentiam ad determinatos effectus liberè applicare, nisi illos præcognoscat, cum non possit in incognitum ferri: igitur præsupponenda est in Deo notitia effectuum producendorum: atqui hæc notitia in Deo habet rationem ideæ. Dantur igitur ideæ in Deo. Hoc ergo ut certo posito, grauis controuersia inter Scholasticos est, quid formaliter importet idea in Deo.

3. PRIMA sententia docet, ideæ in Deo esse ipsasmet creaturas, secundum esse creatum in Diuina mente obiectiue existentes, secundum illud idem esse, quod habituræ sunt in se ipsis in propria natura existentes. Est Ochami in 1. distinct. 35.

Plato.

Augustin.

Augustin.

Gabriel.
Durand.

Quæst. 5. Gabrielis quæst. 5. artic. 2. conclusionem 4. Durandi distinct. 36. quæst. 3. Fundamentum est. Quoniam idea est id, ad instar cuius artifex suum opus ad extra producit, sed Deus suum opus ad extra non producit & ad instar suæ essentiae, vel alicuius rationis aut perfectionis increatae; sed ad instar ipsiusmet creaturæ, quæ producenda est. Eadem quippe creatura in esse producta, imitatur se ipsam in esse præconcepto. Maior est ipsa definitio ideæ ab omnibus recepta. Minor probatur primo à paritate artificis creati, qui externum opus effingit, ad instar operis mente præconcepti: idem enim opus mente præconceptum, dirigit artificem creatum ad formandum opus in externa materia; sanitas enim in materia, inquit Aristoteles 7. Metaph. fit à sanitate, quæ est in anima. Unde per accidens est, quod aliquando artifex creatus utatur distincto exemplari ad suum opus externum formandum, quippe qui habere posset practicam notitiam eiusdem operis faciendi à Deo infusam, quæ haberet veram & propriam rationem ideæ. Igitur ad rationem ideæ non requiritur, ut forma præconcepta imitabilis distinguatur à forma producibili imitativa, cum possit idem in esse producta imitari se ipsum in esse præconcepto. Igitur potest in artifice increato sola creatura præconcepta, & in mente diuina obiectiue existens, habere rationem ideæ, respectu creaturæ producendæ.

Aristotel.

4. Secundo probatur hæc sententia à priori, hoc pacto. Ratio ideæ formaliter consistit in passiva imitabilitate, est enim forma præconcepta, quam imitatur opus ad extra productum: at nec diuina essentia, nec vlla ratio increata habere potest passivam imitabilitatem respectu creaturæ; ergo idea in Deo non est, aut sua ipsius essentia, aut vlla alia ratio increata, sed sola creatura in diuina mente obiectiue existens. Minor probatur, quia quæ sunt dissimilia, non possunt habere rationem imitabilis & imitativi; imitatio enim fit ad expressionem alterius rei consimilis: diuina autem essentia, aut quævis alia perfectio increata magis dissimilis est, quam similis creaturæ; igitur non poterit habere rationem ideæ. Minor patet; quia omnis perfectio diuina, quam creatura imitari dicitur, est longè diuersæ rationis in Deo, quàm in creatura. Nec sat est similitudo analogæ, qualis tantum est inter perfectiones creatas & increatas; alioqui non esset in Deo perfecta ratio ideæ; nam hæc consistit, ut sit ab ideatis perfectè imitabilis: sicut enim ratio ideæ consistit in imitabilitate: ita perfecta idea, qualis est increata, consistit in perfectè imitabilitate. Nequit autem esse perfectè imitabilis ratio illa quam nequeunt effectus imitari secundum propriam & specificam rationem, sed tantum secundum

communem & genericam.

5. Confirmatur; nam illud est idea in Deo, quo solo præconcepto, & omni alio præscripto, Deus est imitabilis à creaturis; sed præconceptus solis creaturis, & omni alio obiecto præscripto, Deus est imitabilis à creaturis: contra verò quolibet alio obiecto præconcepto, & solis creaturis præscriptis obiectiue existentibus in mente diuina, Deus non est imitabilis à creaturis: igitur solæ creaturæ præconceptæ, & in diuina mente obiectiue existentes habent rationem ideæ in Deo.

6. SECUNDA sententia affirmat, solam essentiam diuinam habere rationem ideæ: est Henrici quodlibet 9. q. 2. Alensis 1. p. quæst. 23. membro 4. art. 1. S. Thom. 1. p. q. 15. art. 2. & de veritate. q. 3. art. 2. Bonauentura in 1. dist. 35. q. 1. & 2. Rubionis q. 2. artic. 1. Richardi, dist. 36. art. 2. quæst. 1. & 2. Aureoli dist. 36. p. 2. artic. 1. Hervæi art. 2. & 3. Capreoli art. 1. conclusionem 3. & ad argumenta contra secundam & tertiam conclusionem, Argentinæ, art. 1. Gerardi art. 1. & Egidij apud ipsum, & Palatii disput. 1. conclusionem. 4. Marfilij in prologo quæst. 1. art. 1. Ferrarientis 1. contra gentes cap. 54. Caietani 1. p. loco præcitato, Bannez ibidem art. 1. conclusionem 3. Molin. disp. 2. concl. prima, Vasquez disp. 71. & 72. Suarez lib. 3. de attributis diuinis, c. 5. & aliorum communis. Præcipuum fundamentum est auctoritas Patrum, præsertim Augustini, libr. 83. quæstionum, q. 46. Vbi docet, visione ideatum animam beari: quod non nisi de essentia diuina, quæ sola beare potest, dici poterit. Præterea ibidem ait, quicquid sit, participatione harum idearum fieri: nihil autem sit participatione sui: igitur nequeunt ideæ diuinæ esse ipsæ creaturæ, diuina mente præconceptæ; alioqui idem fieret participatione sui ipsius. Et tractatu 1. in Ioannem affirmat, ideas viuere vita ipsius Dei, quod de creaturis secundum esse creatum intelligi nequit.

Henricus.
Alensis.
S. Thomas.
Bonauent.
Rubio.
Richardus
Aureolus
Hervæus.
Capreolus.
Argentin.
Gerardus.
Egidius.
Palatius.
Marfilius
Ferrariensis.
Caietanus.
Bannez.
Molina.
Vasquez.
Suarez.
Sylvius 1. p.
q. 15. art. 1.
Augustinus.

7. Ratio verò fundamentalis est. Quoniam idea, ut ex præcitato loco Augustini colligitur, consistit in passiva imitabilitate & participatione sui: nulla autem res fieri dicitur ad imitationem & participationem sui ipsius; nequit enim idem participare, & imitari se ipsum, cum participatio & imitatio essentialem respectum dicat ad alterum, quem imitari & participare dicitur. Igitur ideæ diuinæ non possunt esse ipsæ creaturæ producibiles, ut in diuina mente obiectiue existentes.

8. Est autem controuersia inter hos auctores, sub qua ratione essentia diuina sit idea creaturarum. Quinque autem modis potest essentia diuina considerari; Primo, ut constitutiva Deitatis. Secundo, ut causa effectrix creaturarum. Tertiò, ut species intelligibilis earundem. Quarto, ut primariū obiectum diuinæ cognitionis. Quinto, ut cognitio est & species expressa creaturarum. Omnes conveniunt, essentiam diuinam non

esse.

esse ideam ut est causa effectiua creaturarū, quia causalitas idealis non est effectiua, sed directiua & imitabilis exemplariter: atque adeo idea non est ratio, quā opus efficitur, sed qua dirigitur & exemplariter effigiatur. difficultas superest de reliquis quatuor.

9. Aureolus putat, essentiam diuinam absolute sumptam, sub ratione Deitatis, esse ideam. Fundamentum est: Quia idea est perfectio illa, quam creatura imitatur in Deo; hæc autem præcedit in ipsa essentia Dei, antequā cognoscatur ab ipso Deo; ideo enim à Deo cognoscitur ut imitabilis, quia talem imitabilitatem in se ipsa continet.

10. Alij fortasse ideam rationem collocabunt in ipsa essentia Dei, ut est species intelligibilis creaturarum: & ratio esse potest; quia idea importat similitudinem cum re ideanda, Deus autem non habet similitudinem cum creaturis ideandis, quia essentia est, sed quæ species intelligibilis est, quia ut sic est intentionalis similitudo earum.

11. Thomistæ censent, ideam consistere in essentia Dei, ut obiectiue existens est in Deo, ita ut, si per impossibile diuina essentia existeret tantum obiectiue in Deo, haberet veram rationem ideæ. Ratio huius est; quoniam idea est forma imitabilis exemplariter; de ratione autem exemplaris est, ipsum esse obiectiuium. Vnde licet essentia diuina, antequam cognoscatur, sit fundamentaliter imitabilis, non est tamen exemplariter imitabilis, donec fiat obiectiue in intellectu diuino.

12. Bonau. verò, Rubio, Marfil. Argent. Suarez & Vasq. opinantur, diuinam essentiam habere rationē ideæ, quatenus est species expressa creaturarum.

13. Pro huius controuersie explicatione, notandum est discrimen, quod nemo hactenus ex auctoribus, quos ego legi; aduertit, inter exemplar & ideam: quod exemplar est primum directiuum, in aliud non reducibile: idea verò est immediatum & proximum directiuum, in aliud reducibile; ut figura Cæsar, quam pictor intra se format de ipsius imagine in tabella delineanda, est idea; Cæsar verò ipse, de quo imaginem intra se artifex format, est exemplar; hoc enim respectu pictoris est primum directiuum ad opus externum effigandum: figura verò intra se formata est directiuum proximum, à quo immediate dirigitur ad externum opus effigandum. Ex quo ulterius sequitur secundum discrimē, quod opus productum immediate & proximè non assimiletur exemplari, sed ideæ: nam hæc est, à qua proximè & immediate dirigitur artifex: artifex enim non dirigitur proximè ab externo exemplari, sed à forma intra se præconcepta. Tertium discrimen est, quod exemplar potest esse vnum, ideæ verò multæ; ex vno enim eodemque exemplari formari possunt multæ ideæ. Quartum discrimen est, quod de ratione exemplaris non est, ut vniocè conueniat cum ideato; est autem hoc de ratione ideæ, quoniam idea

debet proximè determinare artificem ad consimile opus producendum, ac proinde debet opus ipsum vniocè continere, quia non potest intellectum artificis ad tale opus in specie determinare, nisi per id, quod intentionaliter continet & intellectui obiectiue proponit, cum non sit intellectus aptus determinari, ad externum opus dirigendum, nisi per obiectum actu cognitum, & repræsentatum. Exemplar verò, quia non debet proximè ad opus producendum intellectum determinare, sed tantum remotè, non est necesse, ut cum opere producendo vniocè conueniat. His positis, me iudice, ut certis, facilis est præsentis controuersie decisio. Pro qua,

14. Dico primò. Essentia diuina, antequam actu cognoscatur à Deo, est tantum remotum exemplar creaturarum: sicut Cæsar, antequam actu cognoscatur ab artifice, est remotum exemplar externæ imaginis, ab artifice formandæ. Fundamentum est. Quia, ut aliquid sit remotum exemplar, sufficit, ut aliquam in se præhabeat cum exemplando similitudinem, secundum quam ab illo exemplari, imitarique possit: sed diuina essentia, antequam actu cognoscatur à Deo, præhabet in se aliquam saltem analogam similitudinem cum creaturis, quia illas continet eminenter, secundum aliquas perfectiones ab ipsis participabiles: non enim ideo essentia Dei continet creaturas, quia cognoscitur à Deo; sed ideo à Deo cognoscitur, ut continens creaturas, quia illas eminenter præhabet in se.

15. Dico secundò. Essentia diuina ut actu cognita à Deo, est proximum exemplar, non autem idea creaturarum. Prima pars assertionis constat, quia per cognitionē proximè compleretur in ratione exemplaris, nam per eam fit formaliter directiua operis faciendi. Nec censenda est sola conditio, sed ratio formalis integrans causam exemplarem; eò quod non tantum obiectum, sed cognitio ipsa est directiua operis, quatenus dicat de opere sic & sic effigando, ut producat ad instar exemplaris præconcepti.

16. Secunda pars probatur; quoniam ut ex dictis constat, idea requirit vniocam conuenientiam in repræsentando cum ideato; diuina autem essentia, neque ut cognita, habet vniocam conuenientiam in repræsentando cum creaturis; igitur nequit habere rationem ideæ. Minor probatur. Quia cognitio non variat esse obiecti, quod repræsentat, sed illud tale repræsentat intellectui, quale supponitur in se, ergo si essentia diuina non continet creaturas in se, secundum proprium esse creatum, neque ut cognita poterit eas repræsentare. Nec refert, quod eas contineat eminenter, quoniam eminens esse creaturarum, non est esse creaturæ, sed Dei: obiectum autem cognitum, non manifestat intellectui, nisi quod in se continet formaliter. Igitur diuina essentia, neque ut cognita, repræsentat formaliter creaturas; atque

Thomistæ.

Bonauent.
Rubio.
Marfil.
Argent.
Suarez.
Vasquez.

adeo non poterit habere vniuocam conuenientiam cum illis in representando.

17. Dico tertio. Essentia diuina non est idea creaturarum, quatenus est intelligibilis species earum, sed quatenus est species expressa, & actualis similitudo earundem. Prior pars assertionis probatur; quia, ut ex philosophia suppono, species intelligibilis non est medium cognitum, in quo formaliter videatur obiectum, sed tantum medium incognitum, & principium, quo effectiue duntaxat determinatur potentia ad speciem expressam producendam, in qua solum tanquam in propria & naturali imagine cernitur obiectum. Igitur nequit Diuina essentia, ut species intelligibilis creaturarum, esse formalis idea earum.

18. Posteriolem partem assertionis sic ostendo: quoniam, ut ex supra disputatis constat, diuina essentia ut species expressa creaturarum, est vitalis imago, & expressa atque intentionalis similitudo earum; ergo habet cum illis in representando vniuocam conuenientiam, atque adeo formalem rationem ideæ. Antecedens probatur; quia Diuina essentia, ut species expressa creaturarum, est perfectum verbum earum; procedit enim nostro modo intelligendi ab eadem diuina essentia, ut ab adæquata specie intelligibili creaturarum, & à Diuino intellectu, ut à perfecta potentia intellectiua, atque adeo ut perfectum, & adæquatum verbum earum, in verbo autem perfecte relucet obiectum, secundum proprium & formale esse ipsius, cum totum esse obiecti intentionaliter contineatur in verbo.

Augustin.

19. Hanc sententiam expressit Augustinus sermone 38. de verbis Domini. Vbi verbum Dei, appellat formam omnium rerum; *formam, inquit, non formatam, sed omnium formatorem.* Et tractatu 1. in Ioannem docet, in sapientia & arte Diuina esse ideas, & rationes omnium creandorum, in qua sunt, antequam fiant, in eaque viuere vita ipsius Dei. Dixit autem in sapientia & arte esse ideas, non ipsam artem & sapientiam ideas esse: quia ars & sapientia est, qua artifex intelligit, non autem quod intelligit; idea autem est, quod artifex intelligit; est enim id, ad quod aspiciens opus ad extra producit. Licet in Deo idea ab arte & sapientia non distinguatur: est enim ars & sapientia, ut se tenet ex parte Dei intelligentis; idea verò, ut se tenet ex parte obiecti expressi & intellecti. Vnde in Deo plures dicuntur esse ideas, vna tantum ars & sapientia: quia ars & sapientia, non intelligitur multiplicari, nisi ad multiplicationem intrinsecam sapientiæ; idea verò multiplicatur etiam ad rationem extrinsecam obiectorum.

20. Ut autem totam hanc rem breui, ac distincto discursu concludam, distinguenda sunt hæc signa in Deo. Primum, in quo eius essentia præcedit actum Diuinæ cognitionis: in quo signo Diuina essentia est tan-

tum remotum exemplar creaturarum, quatenus in ea eminenter continentur perfectiones omnium rerum; continentur autem non solum in esse causæ eminentialis naturalis, sed etiã in esse speciei intelligibilis intentionalis, vterque enim modus continentia spectat ad perfectionem primi entis.

21. Secundum signum est, in quo eadem essentia actu cognoscitur à Deo. In quo signo essentia diuina completur in ratione exemplaris; nam in hoc signo cognoscitur sub varijs modis exemplabilis & imitabilis à creaturis; à rebus inanimis secundum esse; à plantis secundum viuere; ab animantibus secundum cognoscere; ab intelligentia præditis secundum intelligere & velle; & secundum has easdem perfectiones cognoscitur infinite participabilis; nam non ita de facto participatur à supremo Angelo, quin participari possit ab alio, & alio perfectiore in infinitum. In hoc autem signo nondum cognoscuntur creatura secundum esse proprium & participatum, sed solum secundum esse eminentiale, & imparticipatum, quod creatura supponunt in Deo; eò quod nondum intelligitur diuina cognitio, ut determinata ab essentia Dei ut specie creaturarum; prius enim concipitur, ut determinata ab essentia, ut est species sui, tanquam obiecti primarij, quàm ut est species creaturarum, tanquam obiecti secundarij. Ex alia verò parte ratio illa, quæ sufficit ad determinandam diuinam cognitionem ad representandam se ipsam, ut obiectum primarium, non sufficit, ad representandas creaturas, ut obiectum secundarium; quia cum hæc non contineantur formaliter in obiecto primario, supponere debent propriam determinationem, ratione distinctam à determinatione obiecti primarij; atque adeo non potest in hoc signo talis cognitio habere rationem ideæ.

22. Tertium signum est, in quo eadem cognitio diuina determinata ab essentia, ut specie intelligibili creaturarum, concipitur, easdem creaturas in se ipsa exprimere intentionaliter, & obiectiue, secundum proprium esse vnius cuiusque; atque adeo in hoc signo diuina cognitio, non quæ cognitio est formaliter, sed quæ verbum & species expressa creaturarum, est idea rerum omnium: quia in hoc signo creatura concipiuntur expressæ, & distincte representatæ, secundum proprium & formale esse earum in ipsa cognitione Diuina, tanquàm in specie expressa & verbo ipsarum. Et consequenter in hoc tertio signo Diuina cognitio habet rationem ideæ, quæ vniuocam requirit similitudinem in representando cum ideato; cum in secundo signo creatura non cognoscantur, nisi secundum esse eminentiale & imparticipatum causæ.

23. Quartum signum est, in quo Deus proximè determinatus à proprio esse creaturarum, obiectiue & intentionaliter expresso in suamet cognitione, remotè verò ab essentia, tanquam à primo exemplari, illas ad extra producit. Totus hic Discursus pendet ex

discrimine

discrimine inter ideam & exemplar. Primò quòd idea requirat vniocam conuenientiam in representando cum ideato, exemplar autem solam analogicam. Secundò, quòd idea reducibilis est ad exemplar, tanquam causa proxima ad remotam & supremam in suo genere: exemplar verò non est reducibile ad aliud in genere exemplaris, cum sit primum & supremum in eo genere. Atqui Diuina cognitio, vt distinctè exprimens creaturas, habet vniocam conuenientiam in representando cum creaturis, quam non habet essentia Diuina, cognita vt imitabilis à creaturis. Præterea Diuina cognitio, vt distinctè exprimens creaturas, reducibilis est ad diuinam essentiam, tanquam ad primam causam in genere exemplaris: siquidem, vt diuina cognitio exprimat distinctè creaturas, pender quodammodo à diuina essentia, vt continente illas exemplariter; nisi enim diuina essentia exemplariter contineret creaturas, non posset cognitio diuina creaturas distinctè in se ipsa exprimere. Tandem diuina essentia, vt exemplar creaturarum non est in aliud exemplar reducibilis; est enim in genere exemplaris prima, à qua omnes creaturæ sunt exemplabiles, & primo participant rationem entis possibilis; sublato enim primo exemplari, nulla creatura haberet positiuam rationem entis possibilis. Participant autem illam per solam denominationem extrinsecam ipsius increati exemplaris, à quo exemplari & participari possunt; cum in se ipsis nihil sint, nisi non repugnantia ad existendum, quæ est pura negatio entis positiui, cum negatione repugnantia ad essendum: quæ solùm importat terminorum combinabilitatem, per quam differunt entia possibilia ab entibus impossibilibus seu prohibitis, quæ non solùm dicunt negationem entis positiui in se, sed etiam negationem terminorum combinabilem.

24. **D I C E S.** In eo signo in quo cognoscitur essentia diuina, vt imitabilis à creaturis, necessariò cognoscuntur creaturæ secundum proprium esse creatum, vt imitaturæ sunt Dei: ergo in ipsa essentia, cognita vt imitabili, cognoscuntur creaturæ secundum proprium esse ipsarum. Respondeo, in eo signo esse tantùm cognoscibiles creaturas secundum proprium esse ipsarum abstractiue, nò intuitiue; cognoscuntur autem intuitiue & in se ipsis in secundo signo, in quo intelligitur diuina cognitio, vt determinata ab essentia, vt specie creaturarum.

Corollaria Doctrinæ.

25. Ex dictis deducitur primò, non solùm rationem exemplarem, sed etiam idealem in Deo esse increatam, quia non solùm essentia diuina, vt imitabilis à creaturis, sed ipsa etiam cognitio Dei, vt exprimens distinctè creaturas, seu ipsamet creaturæ, vt in

diuina cognitione expressæ, tanquam in proprio verbo, & perfectissima imagine earum, est ratio increata: atque adeò rectè quadrant diuinis ideis, quæ de ijs Augustinus prædicat l. 83. quæstionum, q. 46. nempe, quòd sint forma quadam principales, seu rationes rerum stabiles atque incommutabiles, quæ ipsa formata nò sunt, ac per hoc æterna, & seper eodem modo sese habentes, quæ in diuina intelligentia continentur: & cum ipsa neque oriuntur neque intereant, secundum eas tamen formari dicitur omne, quod oriri, & interire potest; & quarum participatione fit, vt sit quidquid est quo quomodo est: quarum visione anima beatissima fit; cæque viuunt vita ipsius Dei. Vnde cum sit creatura in se ipsa, rectè dicitur fieri ad instar ideæ, quam Deus habet de illa, tanquam de re distincta; quia creatura in se ipsa, & in sua idea differt, tanquam ens creatum & increatum.

26. Deducitur secundò, Deum non modò habere ideas futurorum, sed etiam possibilem, quia de ratione ideæ non est actu, sed aptitudine tantùm dirigere intellectum artificis ad opus formandum. Vnde etiam si domesticator nunquam externam domum construat, semper tamè dicitur de illa propriam habere ideam, per quam aptus est externam domum construere. Contrà verò, non habet Deus ideas malorum, aut impossibilem; vnde non dicuntur hæc in Deo viuere vita Dei. Ratio est; quia idea non est, nisi de fabricabilibus; mala autem, etsi suo modo sint, quia tamè non sunt per rationem propriam, sed alterius, nempe boni, cuius priuationes sunt, propriam ideam non habent, distinctam ab idea boni, per quam mala ipsa cognoscuntur.

27. Deducitur tertio, ideam essentialiter requirere vim productiuam ideati in artifice, defectu cuius res naturales, intentionaliter expressæ in verbo Angelico, non dicuntur ideæ, non est tamen necesse, vt idea supponat in artifice vim productiuam quoad esse materiale, & substratum ipsius operis faciendi; sed sat est, si supponat vim productiuam solùm quoad esse artificiatum operis. Sic idea statux efformandæ, nò supponit in statuatio vim productiuam marmoris, quod est substratum statux, sed solius formæ & figuræ artificialis.

28. Deducitur quarto, æternum parentem non habere ideam de eterno suo Filio. Ratio est, quoniam, etsi illum producat ex propria notitia ipsius, quia tamè illum non producit natura diuersum atque discretum à se, quod ad rationem ideæ essentialiter requiritur; est enim idea id, ad instar cuius aliud fit, talis notitia nequit habere rationem ideæ.

29. Deducitur quinto, ideam formaliter non consistere in conceptu formali, sed obiectiuo. Cuius ratio est; quia idea est id ad quod artifex aspiciens opus ad extra producit: porro artifex, cum opus ad extra producit, non conceptum formalem, sed

obiectiuum

Augustin.

obiectiuum aspiciat, quia non conceptus formalis, sed obiectiuus est expressius, & similis operis faciendi: artifex autem, cum ad opus faciendum determinatur, determinari debet ab eo, quod est simile, non autem ab eo, quod dissimile est operi faciundo.

30. Deducitur sextò, id eam habere veram rationem causæ, non quæ opus ipsum sit, talem enim rationem habet vis ipsa effectiua, sed ad instar cuius sit: quod est genus causæ regulantis ac dirigentis: sicut, mensura est causa mensurati, media directione ac regulatione, tanquam propria causalitate. Ex quo sequitur, causam idealem suam causalitatem exercere non posse, nisi in agente intellectuali, in quo supponit virtutem effectricem operis, quam idea complet, obiectiuè tantum dirigendo.

31. Deducitur septimò, discrimen inter causam idealem & finalem; quod finalis mouet agens ad agendum, propter sui bonitatem; Vnde præcipuam causalitatem exercet in voluntate, cuius obiectum est bonitas, inclinando & alliciendo illam ad opus. Idealis verò dirigit agens ad opus, propter solam existentiam operis: vnde suam causalitatem immediatè exercet in intellectu, cuius est reliquas potentias ad opus dirigere. Eius verò causalitas est externi operis directio, ad instar operis præconcepri. Sicut causalitas finis, est operis effectio, propter bonitatem intentam.

32. Deducitur octauò, in Deo esse vnum exemplar, plures verò ideas. Ratio est: quia exemplar, cum sit causa æquiua & eminentialis, potest indistinctè continere multa exemplabilia: quemadmodum virtus æquiua indistinctè continet plures specie effectus producibiles. Idea verò, cum sit in repræsentando vniuoca, non potest indistinctè plura specie ideabilia continere, sed singulis ideabilibus singulæ correspondent ideæ.

33. Deducitur nonò, Deum non habere ideas, neque esse exemplar earum perfectionum, quæ incommunicabiles sunt creaturis: quoniam idea, vel exemplar importat passiuam exemplabilitatem, & imitabilitatem: nulla autem esse potest passiuæ exemplabilitas & imitabilitas in ijs perfectionibus, quæ sunt propriæ Dei, & incommunicabiles creaturis; quoniam quæ sunt incommunicabiles, sunt imparticipabiles, atque adeo inexemplabiles, & inimitabiles: quales perfectiones in Deo sunt independentia ab alio, existentia essentialis, actus purus, infinitas essendi, immensitas, & cætera eiusmodi.

34. Deducitur decimò, ideam non modo esse principium dirigendi, sed etiam cognoscendi ideatum: tum quia non dirigit, nisi cognoscendo ipsum ideatum & modum, quo ideatum ipsum sit formandum: tum quia idea non est aliud, quàm expressa & intentionalis similitudo ideati in mente artificis; hæc autem est ipsissima ratio cognoscendi ideatum.

35. Deducitur vndecimò, in diuinis ideis,

constituendum esse aliquem ordinem, non realem, sed rationis. Quod sit aliquis ordo constituendus, constat à paritate diuinorum attributorum, ad quorum imitationem Diuinæ ideæ ponuntur: si enim inter attributa concedendus est aliquis ordo, vt vnum concipi debeat prius alio, à fortiori talis ordo concipi debet inter ipsas ideas, quæ sunt quædam attributorum imitationes & participationes. Quod autem hic ordo non sit realis, sed rationis, patet; quia nulla distinctio realis, præterquam in diuinis personis, ponenda est in Deo; atqui ideæ sunt in Deo, & non spectant ad diuinas personas: igitur nulla in eis est realis distinctio.

36. Deducitur duodecimò, ideas esse communes omnibus diuinis personis, tamen si per appropriationem tribuantur soli Filio. Prima pars patet. Quoniam perfectio idealis est perfectio absoluta, cum pertineat ad cognitionem absolutam: omnis autem perfectio absoluta communis est omnibus diuinis personis. Secunda verò pars constat ex modo loquendi scripturæ. Ioannis 1. Vbi loquens Euangelista de Filio Dei, *Omnia*, inquit, *per ipsum facta sunt*: quæ est causalitas idealis: & ad Hebræos 1. *Per quem, scilicet per Filium, fecit & secula, portansq; omnia verbo virtutis sue*. Ratio appropriationis est; quia sicut solus Filius procedit, vt verbum notionale Patris; ita omnia, quæ pertinent ad Verbum, & cognitionem absolutam, attribuuntur Filio. Sicut quia solus Spiritus sanctus procedit, vt Amor notionalis vtriusque, omnia quæ pertinent ad Amorem essentialem, attribuuntur Spiritui sancto. Quemadmodum quæ pertinent ad omnipotentiam, attribuuntur soli Patri, eo quod solius Patris est, esse primum & originale principium produciuum ad intra.

37. Ex his patet quid dicendum sit ad reliquas sententias, & quomodo soluenda sint argumenta primæ sententiæ. Falsum quippe est, idè imitari ac participare seipsū. Cæterum, cum Deus producat creaturas, proximè non respicit ad suam essentiam, sed ad creaturas expressas in sua cognitione; sic enim respicit ad aliquid intentionaliter simile, & distinctum à creatura producenda. Idem dicendum de artifice creato: non enim hic dirigitur ab ipso opere ad extra producendo, sed ab opere intra se expresso, quod distinguitur ab ipso opere ad extra producto. Vnde cognitio, quam Deus infunderet artifice de opere producendo, distincta esset ab ipso opere ad extra producendo, tanquam verbum à re ipsa extra existente; est enim cognitio expressa, similitudo rei, non res ipsa extra producta. Et licet creatura intentionaliter expressa in Diuina cognitione, sit ratio increata; atque adeò dissimilis creaturæ extra productæ, in esse naturali, & subiectiuo; est tamen illi similis in esse intentionali & obiectiuo, quod ad rationem ideæ sufficit. Ex his patet ad confirmationem, quæ tantum

probat.

Ioan. 1.

Hebr. 1.

probat, præter Diuinam essentiam cognitam, vt imitabilem, necessarias esse creaturas distinctè expressas per Diuinam cognitionem; quæ tamen creaturæ in Diuina co-

gnitione expressæ, non sunt realiter ipsæ creaturæ extra producibiles, sed earum intentionales imagines & similitudines.

De bonitate Dei.

EXPLICATIS primis duobus attributis, vnitatis scilicet & veritatis, sequitur tertium attributum Bonitatis; quod partim est absolutum, partim respectuum, vt constat ex analogia ad attributum bonitatis creaturæ. Respectum est per ordinem ad appetitum extrinsecum, quem sua perfectione allicit & mouet: nam *bonum* ex Philosopho est, *quod omnia appetunt*. Absolutum verò est per ordinem ad proprium subiectum & naturam, quam bonitas ipsa integrat & cõplet. Quod adhuc est duplex, alterum transcendentale, fundatum in ipsa entitate rei, omnibus numeris & perfectionibus absoluta: alterum morale, quod naturam perficit in ordine ad mores & virtutes.

Aristotel.

Nos de attributo Diuinæ bonitatis disputabimus, quatenus absolutum est, & naturam Diuinam vndequeque integram & perfectam reddit, tum moraliter, tum transcendentally. Nam, prout respectuum est, potius ad Philosophiam spectat, nec magnam habet difficultatem. Quoniam verò principium totius morali bonitatis est Diuina voluntas, prius de illa agendum nobis erit; tum de actibus ipsius, præsertim qui circa hominum salutem, & reprobationem versantur. Tandem bonitatem Diuinam considerabimus, quatenus est transcendentalis perfectio naturæ Diuinæ, quam vndequeque integram & perfectam reddit, & quoad perfectiones absolutas, & quoad respectiuias.

DISPUTATIO XIV.

De voluntate Dei.

SECTIO PRIMA.

An, & qualis in Deo sit voluntas.



Ico primò. Est in Deo voluntas, non per modum potentie distinctæ ab actu, sed per modum actus non elicti, sed subsistentis. Assertio quoad omnes partes est de fide, tum in multis scripturæ locis expressa, tum in varijs Concilijs definita. Probatur prima pars assertionis. Deus est intelligens, vt ex suprâ disputatis constat; ergo & volens. Consequentiam sic deduco cum S. Thoma prima parte quæst. 19. art. 1. ad omnem formam, seu bonum naturale propriæ naturæ conueniens, consequi debet aliquis appetitus, vel ad illud consequendum, si absit; vel in illo quiescendo, si adsit: sed agens intellectuale proponit sibi formam, seu bonum propriæ naturæ conueniens per suam intellectiõnem: igitur ad ipsam intellectiõnem consequi debet appetitus erga tale bonum apprehensum, vt propriæ naturæ conueniens. Atqui talis appetitus est voluntas; datur igitur in Deo agente intellectuâli voluntas. Vltima consequentia claret. Minor subsumpta constat, nam sicut se habet appetitus naturalis in rebus cognitione carenti-

bus; ita voluntas in rebus intelligentia præditis; nam sicut per illum res naturales inclinant ad bonum propriæ naturæ conueniens: ita per hanc naturæ intellectuâles appetunt bonum sibi conueniens. Minor assumpta patet: nam intellectio est expressa, & naturalis imago rei intellectuæ, per quam intelligēs fit res ipsa intellectuâ intelligibiliter; igitur per illam agens intellectuâle repræsentat sibi bonum propriæ naturæ conueniens. Maior constat tum inductione, quæ vnaquæque natura per intrinsecam formam naturalem inclinat ad bonum sibi conueniens: vt lapis per intrinsecam gravitatem ad centrum; & aqua per substantialem formam, inclinat ad propria accidentia, in quibus vel quiescit, dum adsunt, vel ad ea tendit, in se ipsa producendo, dum absunt. Tum ratione à priori: nam quælibet natura sicut inclinat ad proprium esse, ita ad omnia ea, quæ proprium esse conseruant: idem namque appetitus est ad esse, & ad ea, quæ proprium esse conseruant.

2. Porro multas differentias assignat Caietanus prima parte loco præcitato in-

Caietanus.

ter

Certa ex
script. &
Concilijs.

S. Thomas.